BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et insidiatur in corde suo ut subvertat te in foveam. In oculis suis lacrimatur inimicus.

et custodi te ab illo. Non statuas illum
penes te nec sedeat ad dexteram tuam.
migrat locum tuum. ne conversus stet in loco tuo. ne inquirat
cathedram tuam. et in novissimo cog-
noscas verba mea. et in sermonibus meis
stimuleris. Quis medebitur incantatori
a serpente percusso. et omnibus qui appropi-
ant bestiis. et qui comitatur cum viro
iniquo. et obvolutus est in peccatis eius.
Una hora tecum permanebit. si autem
declinaveris non supportabit. In labi-
is suis indulcat inimicus. et si in-
venerit tempus non satiabitur sanguine. Si in-
currerint tibi mala. invenies eum illic
priorem. In oculis suis lacrimatur ini-
al. suffocabit micus. et quasi adiuvans suffodiet
plantas tuas. Caput suum movebit
et plaudebit manu. et multa susur-
rans commutabit vultum suum. XIII.
Qui tetigerit picem inquinabitur
ab ea. et qui communicaverit
superbo induet superbiam. Pon-
dus super se tollit qui honestiori se
communicat. et ditiori te ne socius fueris.
Quid communicabit cacabus ad ollam?
quando enim se colliserint confringetur. Di-
ves iniuste egit et fremebit. pauper
autem lesus tacebit. Si largitus fueris
assumet te. et si non habueris derelin-
quet te. Si habes convivet tecum. et eva-
cuabit te. et ipse non dolebit super te.
Si necessarius illi fueris supplantabit
te. et subridens spem dabit narrans
tibi omnia bona. et dicet quid opus
est tibi? Et confundet te in cibis suis.
donec te exinaniat bis vel ter. et in
novissimo deridebit te. postea videns
derelinquet te. et caput suum mo-
vebit ad te. Humiliare deo et expec-
ta manus eius. Attende ne seductus
in stulticia humilieris. Noli esse hu-
milis in sapientia tua. ne humilia-
tus in stulticiam seducaris. Advocatus
a potentiore discede. ex hoc enim ma-
gis te advocabit. Non improbus sis.

ne impingaris. et ne longe sis ab eo
ne eas in oblivionem. Ne retineas
ex equo loqui cum illo. nec credas mul-
tis verbis illius. Ex multa enim loquela
temptabit te. et subridens interroga-
bit te de absconditis tuis. Inmitis
animus illius conservabit verba tua.
et non parcet de malicia et de vinculis.
Cave tibi et attende diligenter audi-
tui tuo. quoniam cum subversione tua am-
bulas. audiens vero illa quasi in somnis
vide. et vigilabis. Omni vita tua
dilige deum. et invoca illum in salute
tua. Omne animal diligit simile sibi.
sic et omnis homo proximum sibi. Omnis
caro ad similem sibi coniungetur. et omnis
homo simili sui sociabitur. Sicut com-
municabit lupus agno aliquando. sic
peccator iusto. Que communicatio sancto ho-
mini ad canem? Aut que pars bona
diviti ad pauperem? Venatio le-
onis onager in heremo. sic pascua
divitum pauperes. et sicut abhomina-
tio superbo humilitas. sic et execratio
divitis pauper. Dives commotus con-
firmatur ab amicis suis. humilis
autem cum ceciderit expelletur et a notis.
Diviti decepto multi recuperatores.
locutus est superba et iustificaverunt illum.
Humilis deceptus est insuper arguitur.
locutus est sensate et non est datus locus.
Dives locutus est et omnes tacuerunt
et verbum illius usque ad nubes perdu-
cent. Pauper locutus est et dicunt quis
est hic? et si offenderit subvertent illum.
Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia.
et nequissima paupertas in ore impii.
Cor hominis inmutat faciem illius.
sive in bono sive in malo. Vestigium
cordis boni et faciem bonam difficile
invenies et cum labore. XIIII.
Beatus vir qui non est lapsus
verbo ex ore suo. et non est stimu-
latus in tristicia delicti. Felix
qui non habuit animi sui tristiciam.